

rum, circulariter ab omnibus, distincte, non solum audiri, sed & intelligi possit, Sed sudant tantum, nunquam inveniunt, & cum admiratione desinunt in stuporem, Quin nulli adhuc reperti sunt, qui desinare & fratuere potuerint, quid sit ille sibilus & alphabetum quoddam vocis humanæ, seu materia prima, nempe Risus (de fletu nihil dicam) Mirantur, sed non complectuntur. Verum hæc speculabilia de infinita sapientia Dei, in hac vna creatura, relinquamus melioribus & ociosioribus, nos vix gustum attingimus.

De usu tantæ rei dicere hic oportuit, Sed & ille ipse sua infinita varietate & utilitate, longe superat omnium eloquentissimorum eloquentissimam eloquentiam. Hoc vnum possumus nunc afferre, Quod experientia testis est, Musicam esse vnam, quæ post verbum Dei merito celebrari debeat, domina & gubernatrix affectuum humanorum (de bestiis nunc tacendum est) quibus tamen ipsi homines, ceu a suis dominis, gubernantur & sæpius rapiuntur. Hac laude Musicæ, nulla maior potest (a nobis quidem) concipi. Siue enim velis tristes erigere, siue lætos terrere, desperantes animare, superbos frangere, amantes sedare, odientes mitigare, & quis omnes illos numeret Dominos cordis humani, scilicet affectus & impetus seu spiritus, impulsores omnium vel virtutum vel vitiorum? Quid inuenias efficacius quam ipsam Musicam? Honorat eam ipse Spiritus sanctus, ceu sui proprii officij organum, dum in scripturis suis sanctis testatur, dona sua per eam Prophetis illabi, id est omnium virtutum affectus, ut in Eliseo videre est, Rursus per eandem expelli Satanam, id est omnium vitiorum impulsorem, ut in Saule rege Israel monstratur.

Vnde non frustra, Patres & Prophetæ, verbo Dei nihil voluerunt esse coniunctius quam Musicam, Inde enim tot Cantica & Psalmi, in quibus simul agunt & sermo & vox in animos auditoris